DE
YSTEROPHORO ZWANCKII
ADHIBENDO ET ADHIBITO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

LMA LITTERARUM UNIVERSITATE

GRYPHICA

UT SUMMI

IN MEDICINA,

CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

E X. MENSIS NOVEMBRIS ANNI MDCCCLX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EUGENIUS FLIEGEL,

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

H. HERTZ, DR. MED.

E. SCHARTOW, DR. MED.

E. GERSTEIN, CAND. MED.

GRYPHIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

HASCE PAGELLAS

PIETATIS GRATIQUE ANIMI

DOCUMENTUM ESSE VULT

FILIUS.

Praefatio.

Quod attinet ad hujus meae dissertationis materiam, eam Exp. doctoris Ziemssen, qui attentionem meam ad complures prolapsu uteri affectas feminas dirigebat, consilio emotus elegi. Nonnullis enim de illo malo scriptis lectis persuasum mihi erat prolapsum uteri, etsi plerumque non directe vitae feminarum eo affectarum periculum intentaret, tamen eam tam intolerabilem reddere posse, ut, si liceret, mortem praeferrent, quum non solum dolores acerbissimi prolapsu concitati, sed etiam molestiae multiplices eas ab omnibus motibus et rebus gerendis prohiberent. Quum ejus mali sanatio Zwanckii hysterophoro, quod ab omnibus medicis summa cum approbatione salutabatur, perfectionem usque ad hoc tempus incognitam adi-

pisceretur, ipse noscere constitui, quomodo hoc instrumentum in iis casibus, in quibus adhibitum esset et ad quos mihi aditus permitteretur, et quo successu toleraretur, quo facto liceat mihi eos casus observationibus, adjicere, quas Meyer, aliique viri, qui arti obstetriciae et gynaecologiae operam dabant, scriptis de hac materia publicaverunt.

Hac occasione oblata facere non possum, quin iis viris duobus, qui consiliorum meorum fuerunt adjutores, Ill. Pernice et Exp. Ziemssen gratias quam maximas agam.

Prolapsus uteri cum vaginae prolapsu plerumque conjunctus apparet, quum horum organorum alterum utrisque inter se accuratissime cohaerentibus ex situ naturali remotum alterius quoque situm mutare contendat idemque secum detrahat. Saepius accidit, ut uteri prolapsus sit principale malum vaginae quoque prolapsum adducens, quam ut vaginae prolapsus, qui, si est principale malum, semper fere eo, quod vesica urinaria aut intestinum rectum vaginae parietes deprimit, oritur, uterum deducat.

Causae, quae vaginae aut uteri prolapsum efficiunt, dividi possunt in eas, quae trahendo et eas, quae premendo vim exercent. Quod attinet ad causas praecipuas, quae vaginam detrahunt, contractio cicatricis peritonei ruptura in pariendo facta, aut tumores ex membrana mucosa dependentes commemorandi sunt, — quae eam deprimere possunt, abdominis intestina sunt magna vi. In iis causis, quae trahentes uterum in locum deteriorem ducunt, praecipue, ut jam supra dixi, vaginae prolapsus, tum autem vaginae contractiones atrophia senili effectae

et interdum polyporum pondus numerari possunt. Polyporum autem pondus sicut omnino variorum textorum anomalorum non solum trahendo, si parietibus uteri internis sunt affixa, sed etiam extra uterum in abdominis cavo sita eum premendo deorsum movere possunt, haud minus, quam exsudata et imprimis uteri ipsius aucti pondus, si idem post partum editum nondum ad complexum normalem minutus telis relaxatis circumdatur, quarum resistentia exigua omnibus corporis functionibus, in quibus contractio vehemens musculorum abdominis et diaphragmatis aut singulorum, aut conjunctorum adhibetur, facile superatur. Uteri pondus igitur partu edito maxima ex parte praesertim in mulieribus pauperibus, quae neque tranquillum situm servare, neque laboribus defatigantibus abstinere possint, ut uterus prolabatur, efficit, quae res nobis non erit mira considerantibus jam inspiratione tranquilla uterum nonnihil descendere et catarrho chronico, quo abdominis musculi propter conjunctam cum eo tussim frequenter ac vehementer contrahantur, fieri posse, ut, etsi partus non antegressus sit, tamen uterus descendat. Omnes mulieres quas uteri prolapsu laborantes cognovi, partum ediderant, nec una muliere excepta prolapsum ex partu ortum esse difficile erat demonstratu.

Procidentiae uteri, quae medicis insignibus auctoribus in descensum et prolapsum incompletum et completum dividuntur secundum procidentiae gradum, non minus quam vaginae prolapsus eandem

sanandi rationem postulant, nec discrimen earum accuratius explicabo, quum praesertim tractationi earum aptissimum apparatum exemplis demonstrare proposuerim.

Ingens instrumentorum multitudo a viris summae auctoritatis inventa est, quae prolapsum, etsi plane sanare nequirent, tamen quam maxime tolerabilem redderent nec indignum erat hoc malum contentionibus virorum celeberrimorum; nam non solum hic tumor inter crura feminarum jacens ad insignem magnitudinem pervenire potest, ita ut, quod jam supra dixi, iis in omnibus motibus et vitae functionibus impedimento molesto sit, sed etiam dolores a regione sacrali ad inguinalem trahentes, impedita excrementorum dejectio, cardialgiae, quae interdum vehementissimae existunt, crebri vomitus, continua nausea, omnia haec magnam animi depressionem afferre et vitam vix vitalem reddere possunt.

Etsi haec mala plerumque paulatim se praebent et magis magisque auxilio non lato augentur, interdum tamen accidere potest, ut uterus subito prolabatur musculis abdominis vehementer contractis, ut in sternuendo, in saltando etc., quo in casu non solum magna nervorum perturbatio, ut animi defectus et dolores acerbissimi exoriuntur, sed etiam peritoneo inflammato vitae discrimen adduci potest.

Perraro sanatio prolapsus spontanea observata est, si quidem aut vagina puerperarum per partes inflammata cicatrices formaverat, quarum contractione vaginae circuitus ita deminutus erat, ut uterus

retineri posset, aut si uterus perimetritide orta cum superioribus abdominis partibus coaluerat, quibus ejus procidentia impediretur. Quem eventum medici nonnulli (in his Fricke, Dieffenbach, Pauli, Desgranges) imitari conati operationibus cicatrices producebant, quae vaginam imminuerent. Quod spectantes alii et materiis causticis et ferro candente et magnis pessariis, quae in vaginam illata ibique diu retenta premendo ulcerationes proferrent, alii compluribus forcipibus parvis adhibitis, quae partium comprehensarum gangraenam efficerent, vaginae contractionem procreare volebant. Desgranges, qui hujus rationis, quam postremo commemoravi, (pincement du vagin) auctor est, etiam forcipem cum substantiis causticis conjungere proposuit, ut effectus augeretur. Omnes has operationes ad prolapsum uteri tollendum factas, ad quas etiam elytrorhaphia et episiorhaphia, (excisionis vaginae et labiorum pudendi) accedunt, feliciter evenire posse nemo negabit, sed quum partim magnis cum tormentis conjunctae sint, partim per complures menses situm tranquillum feminarum curandarum postulent, partim vitae periculum afferre possint et paucae tantum mulieres operationi se subjiciant, omnium autem earum successus non certo exspectari possit, denuo multi medici procidentiae sanandae methodum his vitiis carentem invenire studebant.

Jam Hippocrates in scriptis suis apparatus commemorat, qui ad prolapsum curandum constituti in vaginam inducebantur et minus ea intentione, ut

uterum mechanice retinerent, quam ea, ut medicaminibus adstringentibus receptis, quod propter porositatem eorum non erat difficile, vaginam contraherent, adhibebantur. Hi apparatus aut formam cylindricam habentes aut globosam constabant ex linteo, vel lana, vel spongia et pessi (πεσσοί) nominabantur, ex quibus postea pessaria prodierunt, qui magis mechanicam quam chemicam vim haberent. Secundum hoc consilium materia, ex qua pessaria ad id tempus parata erant, mutabatur et pro substantiis mollibus, porosis substantiae solidiores, quae a vagina retentae uteri adminiculum esse possent, eligebantur. Sic pessaria e ligno, metallo, vitro, ebore, cornu facta resina elastica aut cera obducebantur, quo diutius integra permanerent. Haec instrumenta autem, ut utero deorsum prementi resisterent, intra aut extra vaginam firmari oportebat, quare dum alii eorum propter magnitudinem vaginae parietibus extensis retinebantur, aliis scapus suppeditabatur, qui pudendo externo ligamentis affigebantur. In hoc scapo adjuncto pessariorum divisio est posita, nam dividuntur

a) in pessaria scapo carentia,

b) in pessaria stilata.

Utraque pessaria formam habent variam; alia rotunda, alia ovalia, alia angulata sunt; aliis pyri aut pomi, aliis cylindri, aliis patellae figura data est. Pessaria scapo carentia nunc quoque saepe adhibentur, quamquam non solum pressu nimio evacuationem vesicae urinariae intestinique saepe impedi-

unt, sed etiam gangraenam vaginae partialem et parietum ejus perforationem producere possunt. Quae pessaria, si sunt minora, non affixa e vagina excidunt nec ullam habent utilitatem. Praeterea mulieres haec pessaria non ipsae sibi inducere nec promere possunt, quare, si diu in vagina retinentur ut aliena corpora membranam mucosam irritant et ulcerationibus excitatis fistulas recto- aut vesico-vaginales producere possunt, etsi evenit, ut per complures annos id instrumentum sine detrimento toleratum sit, cujusmodi exemplum ipse commemorare possum. Mulier quaedam provecta aetate per tredecim annos pessario ligneo usa idem nunquam promptum tulerat, donec nuperrime incommodis ortis a medico eximendum curavit. Molestias autem fortasse tantum propterea ortas esse putandum est, quod vaginae circuitus senili atrophia erat minutus, cujus contractionis causa parietes vaginae minores factae nunc magis quam antea hysterophoro extendebantur ideoque sanguinis aditu prohibito gangraena adducebatur.

Inflammatio vaginae, quae oritur, si pessarium diutius in ea permansit, in causa erat, ut Pauli, quod jam antea breviter commemoravi, ad uteri procidentiam sanandam hoc processu uti vellet ideoque commendaret, ut duo rotunda pessaria inducta complures per hebdomades in vagina remanerent, dum aegrota hoc tempore se non e lectulo moveret. Tum inflammatione et eam sequente cicatricum formatione uteri prolapsum vagina coartata retineri. Quae in-

commoda et pericula haec ratio secum ferat, nullum medicum latebit. Ex omnibus his pessariis coronae uteri rotundae (runde Mutterkränze) maxime laudantur, praecipue eae, quae nutricis Rondet praeceptis e resina elastica sunt confectae. Angulata instrumenta autem penitus rejici possunt, nec minus elytromochlion, quod Kilian construendum curabat, sicut omnino ea pessaria, quae vi elastica in vagina retinentur, quia pressu continuo mala periculosissima adducere possunt.

Quod attinet ad pessaria stilata, haec aut in scapum abeunt, qui extra genitalia ligamentis firmatur, aut aliquo apparatu cum scapo sunt conjuncta, qui plerumque curvatus arcum formans ad apparatum fasciae herniali similem est alligatus. In his pessariis imprimis id, quod Roser et id, quod C. Mayer composuit, commendatum est, quorum alterum, si prolapsus anterioris vaginae parietis, alterum, si posterioris prolapsus praevalet, adhiberi potest.

Anno 1853 Dr. Zwanckius, medicus Hamburgensis (Monatsschrift für Geburtskunde und Frauenkrankheiten. Band I. pag. 213.) apparatum ad uteri procidentiam tollendam constitutum publicavit, quem jam aestate anni 1851 Gotham miserat, ubi propter res iniquas nondum pro dignitate aestimatus est. Hic apparatus, hysterophorum Zwanckii nominatus, nondum extemplo, sed paulatim compluribus experimentis antea factis eam formam perfectionemque, quae ei nunc est, accepit. Ex duabus laminis ova-

libus constat, quae e metallo confectae, resina elastica obductae, articulo (Charnier) ita sunt conjunctae, ut facile complicari et dimoveri possint. In laminarum superficie externa prope ab articulo duae ligulae metallicae sunt infixae, quae approximatae, ut margines laminarum liberi inter se distent, efficiunt. Alterius ligulae cacumini cochlea aptata est, quae alteram ligulam adductam cum priore conjungit, ita ut laminae pressui parietum vaginae resistere possint. Ceterum Zwanckius non primus hanc rationem excogitavit, quamquam dicere nolo, eam non ejus propriam fuisse, sed Breslau (Beiträge zur Geburtskunde und Gynäkologie. Bd. IV. 1860) anno 1853 Berolini in collectione instrumentorum obstetriciorum hysterophorum saltem ante quinquaginta annos factum invenerat, quod, ut ait, primo adspectu memoriam instrumentorum, quae Zwanckius et Schilling construenda curassent, sibi attulerit. Cochlea fusiformi alas duas hysterophori dimoveri posse, quo facto non solum instrumento sed etiam utero adminiculum adduci.

Eulenberg Zwanckii hysterophorum emendare cupiens idem immutabat, et quidem ita, ut non cochlea, sed annulo e resina elastica facto duo scapi crassi, qui vicem ligularum implerent, concluderentur. A. Mayer experimentis, quae cum hoc apparatu egit, non erat contentus et vituperabat, quod scapi subito clausi saepe membranae mucosae vaginales plicas comprehensas premerent, quae res non

minora tormenta afferret, quam laminae ejus in inducendo distantes.

Eodem fere tempore, quo Zwanckius hysterophorum suum medicorum judicio tradebat, Schilling (Erlangen. 1854) hysterophorum, quod ipse excogitasset, Zwancki hysterophorum sibi antea cognitum fuisse negans libello publicavit. Rarus saltem casus est, ut eodem tempore duo inventa publicentur, quae idem spectantia et inter se simillima magni sint momenti in gynaecologia. Forma laminarum ejus instrumenti, quod Schilling commendabat, quadrangula est, quam ob rem, ne anguli vaginae parietes laedant, timendum est. Magis idonea forma ovalis, quam Zwanckius laminis dederat, habenda est, quamquam ligulas conjungendi ratio, quam Schilling praescribebat, commodior esse videtur, qua re Breslau commotus hysterophori Zwanckii ligulas eo modo, quo Schilling voluit, conjungebat et eum apparatum Zwanck-Schilling nominabat. Sic complura instrumenta sunt orta, quae, quod attinet ad principium, omnia consentiunt. Quum autem tantum, quid Zwanckii hysterophorum efficeret, observandi occasio mihi data sit, reliqua omittens, quomodo hoc tractandum et quo eventu in policlinico medico et obstetricio Gryphiswaldensi adhibitum sit, describere volo.

Priusquam hysterophorum in vaginam inductum est, sicut in omnium pessariorum usu, antea uteri prolapsus reponendus est, quod semper fere contingit, nisi uterus graviditate auctus est, aut tumor,

vel humor, qui uterum depresserat, tantopere abdominis cavum implet, ut nullum spatium utero reliquum sit. Uterus interdum hypertrophicus est, quare repositio majore volumine aut doloribus, qui inflammatione ejus orti sunt, impeditur; quo in casu hirudines ad partes hypertrophicas admoveri et fomenta frigida imponi satis est, qua ratione repositionis impedimenta semper fere brevi tempore tolluntur. Tum mulierem aegrotam supinam recumbere oportet regione sacrali subrecta, quo in situ medicus uterum uno aut duobus digitis sursum emolitur. Si autem uterus majore gradu est prolapsus, haec tractatio non sufficit, sed altera manu tumorem comprimi necesse est, dum altera eum in vaginam reducit et in axis pelvis directione sublevat. Si gravibus ulcerationibus et excoriationibus portio vaginalis uteri aut vagina est affecta, ita ut remedia localia ad eas sanandas adhibenda sint, melius est, ut Scanzoni et Veit praescripserunt repositionem prolatare, quam statim efficere, quia commodius et tutius ea mala tolli possent, si uterus liber pro genitalibus jaceret.

Repositione facta utraeque hysterophori laminae cochlea retorta pollice et digito medio dextrae manus comprehensae appropinquantur, dum digitus index ejusdem manus ut fulcrum in eo articuli fine, qui concavitati ligularum respondet, ponitur et postquam duobus alterius manus digitis labia pudendi majora dimota sunt, caute per introitum vaginae usque ad articulum inducuntur, qua in re ligularum concavitatem sursum spectare necesse est. Leni vi

elastica apparatus laminae impositae dimoventur, ita, ut nisi hysterophorum permagnum sit, ligulae sponte sua appropinquentur, quae nunc, postquam hysterophorum sine ulla vi quam maxime in altum sublatum est, cochlea contorta inter se conjunguntur. Dum ligulae comprimuntur, id spectandum est, ne plica membranae mucosae inter eas includatur, quod hac re dolores vehementissimi effici possunt. Quibus factis medicum leni tractu explorare oportet, num hysterophorum cedat, an restitat, ne postea e vagina excidat, si non tuto post ramos ossis pudendi positum sit. Quum aegrota de doloribus, quos hysterophorum afferret, queritur, tum instrumentum minore volumine adhibendum est, sicut omnino summa diligentia in hysterophoro eligendo necessaria est. Ut apparatus facilius in vaginam illabatur, antequam inducitur aqua frigida eum humectari necesse est neque oleum in illa re gerenda adhibendum est, quum resina elastica eo deleatur.

Hysterophoro idoneo reperto bonum est, ut aegrata aliquamdiu, si fieri possit, in lectulo permaneat, aut certe nulla negotia difficilia suscipiat, dum vagina instrumento adsueverit.

Quod attinet ad magnitudinem hysterophori eligendi, A. Mayer (Verhandlungen der Gesellschaft für Geburtshülfe in Berlin.) suadet, ut, priusquam hysterophorum imponatur, medicus digitos duos in vaginam inducat eorumque apices tam diu dimoveat, dum latera arcus pudendi assecuti sint. Hanc distantiam fere modum esse, pro quo hysterophorum

eligendum sit; sed eos quoque bene agere, qui primo semper minimum hysterophorum adhibeant, quum saepe permagni prolapsus hysterophoris parvis retineantur, quam rem ego quoque compluribus in casibus probatam inveni, nam id hysterophorum, cui numerus I. est inscriptus et quod est minimum, plerisque in casibus mihi cognitis sufficiebat.

Quum mulier quaeque sibi ipsa apparatum inducere et promere possit, non est difficile factu, ut quotidie priusquam cubitum eat, eum eximat et matutino tempore rursus immittat, ita ut saepe mundari possit et vagina quam minime irritetur. Si prolapsus uteri cum perinei magna ruptura est conjunctus, hysterophorum Zwanckii inutile esse Scanzoni obtinebat, quia tum necessario adminiculo careret; sed C. Mayer (Anwendung des Zwanck-schen Hysterophors. p. 7) non modo contrarium affirmat, sed etiam decem exempla ejusmodi commemorat, in quibus, quamquam perineum plus minus ruptum fuisset, tamen hysterophorum Zwanckii optimo eventu latum esset.

Hysterophoro primum imposito medicum diligenter perscrutari oportet, sive interrogando, sive speculo immisso, num hysterophorum fortasse vaginae parietes premat et nimium extendat, neque prius mulieribus, quomodo ipsae instrumento utantur, monstrandum est, quam id bene tolerari apparuit, ne observationem effugere possint, neve iis plus detrimenti quam utilitatis adducatur.

Per menstruorum tempus hysterophorum mun-

ditiae causa omittendum est, nisi mulier negotia defatigantia gerere coacta est; nam in hoc casu, ne uteri procidentia iterum augeatur, melius est, ut hysterophoro utatur. Item graviditatis tempore A. Mayer hysterophorum adhiberi vetat, quod facile eo abortus afferatur et quamquam duas mulieres per maximam graviditatis partem hysterophorum tulisse mihi cognitum est, tamen irritatione portionis vaginalis, si hysterophorum a muliere gravida portetur, abortum facile fieri posse negari non potest, ita ut Mayer summo jure interdictum suum edidisse videatur.

Munditia et ordo, sicut in omnibus vitae functionibus, hic quoque etiam atque etiam commendanda sunt, quod iis virtutibus non solum pessarium multo melius sustinetur, sed etiam multa mala, quae ex contrario oriri possint, praecaventur. Saepe accidit, ut fluor albus, nisi jam cum prolapsu sit conjunctus, hysterophoro, imprimis munditia neglecta, excitetur, quo in casu situs tranquillus observandus et medicaminum adstringentium solutiones in vaginam immittendae sunt.

Si anterior aut posterior vaginae paries juxta hysterophorum prolabitur, aliud instrumentum eligendum est, cujus diametros in articuli directione latior esse debet, quod item faciendum est, si hysterophorum propter tenuitatem suam decidit. Propter variam magnitudinem et formam, quae hysterophoro Zwancki est data, fieri potest, ut omnibus fere in casibus, in quibus omnino prolapsus uteri

reponendus sit, etiam idoneum instrumentum cum prospero successu adhiberi possit, ad quod accedit, ut hic apparatus pretio mediocri acquiri et per complures annos solidus reservari possit, quamobrem si praeterea, quam facile a mulieribus immittatur et eximatur, respicimus, omnibus aliis ejusmodi apparatibus hunc anteponendum esse negare non possumus.

A. Mayer ducentas et tres mulieres prolapsu affectas commemorat, quarum centum septuaginta novem hysterophorum Zwancki, ut ipsae eo uterentur, acceperunt, quae post aliquod tempus prospero successu observato dimissae sunt. In reliquis viginti quatuor casibus hysterophorum, partim quod insuperabilia immittendi impedimenta aderant, partim quod eo nonnulla incommoda allata sunt, omittebatur. Omnium horum casuum, in quibus hysterophorum bene latum est, numerum consideranti, quum de auctoris fidei dubitari non possit, quanti aestimandus hic apparatus in gynaecologia sit, perspicue apparebit, quam ob rem operae pretium est experientia propria hysterophori Zwanckii praestantiam cognoscere. Ipse complures casus cognovi, in quibus adhibitum est ejusque successus observavi, qui non discedunt ab iis, quos Mayer descripsit, quare ad augendas illas observationes nonnullas iis adjungere mihi liceat.

I. B. femina quinquaginta quatuor annos nata, liberos quatuor peperit et quidem ultimum ante quatuordecim annos. Hac ex re partum nullum ad ejus

prolapsum uteri habuisse vim apparet, qui non prius, quam ante quatuor annos vehementibus tractibus et tormentis in regione sacrali indicabatur. Verisimile est, hac in muliere senilem atrophiam procidentiae causam praedisponentem fuisse. Hoc malum eo ortum videri, mulier ipsa dicebat, quod domicilium summum habitans continuo onera gravia in altum portare coacta esset. Ante unum annum primo medicum consulebat, qui mulierem perscrutans prolapsum uteri incompletum reperiebat. Uterus hypertrophicus praeter modum auctus retrorsum se vertebat et noctu, dum mulier tranquillum situm habebat, totum se in vaginam retraxit. Praeter incommoda tumoris inter crura mulieris dependentis, cardialgiae, obstructiones, cet. se praebebant. Itaque utero reposito hysterophorum Zwanckii imponebatur, quod non solum permagnum, sed etiam negligenter constructum, multis molestiis allatis diffractum est. Ante novem menses mulieri iterum hysterophorum datum est, quod magis idoneum ab ea ipsa edocta, quomodo imitteretur, quotidie tempore matutino sine ulla difficultate imponitur et sub vesperam promitur, quo inducto procidentia penitus retinetur. Si quando hysterophorum tres aut quatuor dies non adhibuit, tamen uterus non prolabitur, etsi iterum pro genitalibus apparet hysterophoro longius tempus omisso.

Alium casum, in quo hysterophorum bono cum successu in policlinico Gryphiswaldensi adhibitum sit, in dissertatione Augusti Latzel, „de uteri

hypertrophia. Gryphiae. 1858." descriptum hoc loco commemorabo, quod meae dissertationis consilio respondet.

II. S o p h i a Z. corpore macilento et statura mediocri quadraginta annos nata ante hos septem annos abortum fecit, qui nullo medico consulto causa uteri descensus factus est. Postquam Z. e lecto surrexit, quamquam sanguis quatuordecim per dies continuo e genitalibus profluebat, tamen negotia solita suscepit Quum autem gravissimis abdominis tormentis vexaretur, quae sine ulla causa orta esse ei videbantur, et vehementes tractus a regione sacrali usque ad regionem inguinalem pertinentes et haemorrhagiae profusae, quae identidem extra solitum catameniorum tempus evenerunt et spasmi complures horas perdurantes effecerunt, ut medici auxilium imploraret. Nausea cibi cupiditatem opprimebat et tantum cibis facilibus digestio ejus non perturbabatur. Urina et faeces evacuandae summas offerebant difficultates, quare purgantia dari oportebat, ut alvus vacuefieret et in subducenda urina catheter adhibendus erat. Digito per vaginam exploranti, quod sine maximis doloribus fieri non poterat, paries anterior vaginae languidum et prolapsum se praebuit. Uterus qui descenderat, ut saepe fit, hypertrophicus factus et portio vaginalis, praecipue labium anterius, tripliciter fere amplificata erat. Primo ad hyperaemiam portionis vaginalis minuendam brevibus intervallis hirudines complures ei admotae et irrigationes gelidae saepe adhibitae sunt, quae tra-

ctatio mox, ut prolapsus reprimi et hysterophorum Zwanckii induci posset, effecit. Tum aegrota non solum in eundo nulla habebat incommoda, sed etiam tormenta cessabant, urina faecesque facillime evacuabantur et digestio tantopere perturbata rursus redintegrata est.

III. W. femina triginta tres annos nata, mater quinque liberorum, quum ultimum erat gravida, bubone syphilitico laboravit, qui lege artis tractatus nulla luis secundariae signa produxit. Ante unum annum duosque menses ultimum infantem peperit et procidentia uteri et vaginae tormentis in regione sacrali ortis indicabatur. Quum haec mulier extra hoc malum hernia abdominali et inguinali dextra atque sinistra affecta sit, facile intelligi potest, eas universali telarum relaxatione productas esse, quae etiam uteri procidentiae causa praedisponens habenda est. Prolapsus medico non consulto augebatur, ita ut decem mensibus post partum mulier tumorem pugni volumine e genitalibus excessisse animadverteret. Nunc medici auxilium implorabat, qui praeter mala jam commemorata uteri retroflexionem gravem et cervicis ejus hyperaemiam magnam reperiebat. Evacuatio faecium retroflexione saepe impedita obstructionem incommodam afferebat, dum urina sine ullo impedimento effluxit. Priusquam hysterophorum Zwanckii in vaginam immissum est, ad uteri hyperaemiam minuendam identidem quatuor hirudines portioni vaginali applicatae erant, quae non solum hyperaemiam sed etiam menstruorum anomaliam tol-

lebant. Quum hysterophorum primo illatum dolores nonnullos produceret, instrumentum minus imponebatur, quo uterus et tuto retinetur et dolores, etsi non plane sublati, tamen exigui facti sunt.

IV. H. femina quadraginta quatuor annos nata septem infantes peperit, in quibus duo geminelli erant, ante annos undecim nati. Quo ex partu incommoda uteri descensus orta sunt, quum mulier non tam diu in lecto remanere posset, dum uterus ad magnitudinem normalem rediisset, sed, ut panem quotidianum mereret, ad negotia solita se converteret, quae praecipue, quum magnam contentionem postularent, ei fiebant perniciosa. Usque ad annum 1856 prolapsus uteri nondum aderat, sed tantum descensus conjunctus cum vaginae prolapsu. Mense Aprili illius anni ultimum partum ediderat et descensus uteri nunc prolapsus uteri incompletus factus erat, qui ovi anserini volumen assecutus inter mulieris crura apparebat. Ex hoc tempore imprimis obstructio omnesque aliae prolapsus molestiae summo gradu existebant, ita ut necessitudine coacta mulier medicum consuleret, qui repositione uteri facta hysterophorum Zwanckii vaginae immittebat. Hysterophorum per duos annos cum prospero eventu latum est, ex quo tempore usque ad hujus anni mensem Julium hysterophoro perdito nullum instrumentum adhibuerat. Quum autem prolapsus paulatim ovi anserini volumen rursus adeptus esset, hysterophorum iterum sibi dandum curabat, quod ipsa sibi

imponens usque ad diem hodiernum sine ulla difficultate adhibet.

V. S. femina triginta quatuor annos nata, magna statura et corporis constitutione robusta, postquam secundum partum ante sex annos edidit, descensu uteri affecta est, qui quatuordecim diebus post hunc partum, quum alvum dejicere vellet, vehementi pressu subito in prolapsum completum mutatus est, ita ut uterus ovi gallinacei volumine pro genitalibus procideret. Extra hunc prolapsum digito perscrutanti retroversio uteri et prolapsus parietum utrorumque vaginae se offerebat. A medico, cujus auxilium mulier imploraret, ei hysterophorum Zwanckii datum est, quod male constructum mox fractum est. Tum alterum hysterophorum accepit, quod immittere mox edocta quotidie sibi imponebat. Hoc instrumento uterus et vagina tuto retinebatur, ita ut eo immisso nullis a negotiis gerendis prohiberetur, neque doloribus, qui aliter eam vehementissime vexassent, afficeretur. Quum eam nuper visitarem, querebatur, quod raro nunc hysterophorum imponere posset, quia idem pro medici praecepto longum tempus in vagina morari non deberet; se tamen in eo promendo tantos dolores habere, ut omittere, quam quotidie eximere mallet. Eo immisso vero uterum statim procidere, quare non solum obstructione intestini, quae interdum per octo dies perduraret, sed etiam vehementissimis doloribus quasi partus torqueretur. Etsi omnibus fere molestiis prolapsus careret, si hysterophorum induxisset,

haec incommoda quam dolores in promendo ortos tolerare malle, quum semper se cum instrumento genitalia sibi eripere putaret. Hysterophorum minus adhibere hoc in casu non licebat, quum id hysterophorum, quo utebatur et cui numerus II inscriptus esset, potius minus esset, quam majus et neque immissum neque in immittendo tormina efficeret. Quum autem in eximendo duae hysterophori laminae non tantopere sibi admoveri possint, quam in immittendo, fieri potest, ut brachia gannientia, quotiescunque per angustum vaginae introitum extrahantur, eum laedant et hac irritatione inflammationem et dolores intolerabiles producant. Itaque hoc in casu, hysterophorum tale, quale Breslau construendum commendavit et Zwanck-Schilling nominavit, adhiberi maluerim; quum enim brachia ejus hysterophori, priusquam e vagina eximitur, infinita cochlea volumen quam maxime exiguum assequi possint, multo facilius, quam divaricata vaginae introitum transire poterunt.

VI. D. femina parva statura, sed validissima corporis constitutione ante tres annos prolapsu uteri, qui volumen ovi anatini habet, affecta est. Infantem sextum genuerat, quum prolapsus ei doloribus regionis sacralis indicatus est et primo mali oriuntis tempore spongiam humore adstringenti imbutam adhibuerat, quae, ut ipsa dicebat, ei non suffecit. Itaque, quum valetudini suae prospicere non posset et de acerbissimis doloribus quereretur, hysterophorum Zwanckii accepit. quod cum primum induceretur,

ei convenit, ita ut statim ab omnibus doloribus ac molestiis, quas prolapsus secum gerebat, libera se quasi denuo natam sentisse diceret et omnia negotia sine ullo impedimento curare posset. Ipsa id instrumentum facillime ingerit, aut promit et interdum per octo dies hysterophoro carere potest procidentiae incommodis non vexata. Quum ante quindecim menses concepisset, medico non consulto hysterophorum primo graviditatis dimidio adhibebat, et quum prolapsum graviditate retineri animadvertisset, omittebat. Quamquam haec mulier per tres annos eodem hysterophoro utebatur, tamen adhuc tam bonum est, ut etiam posthac adhibere possit.

VII. M. femina parva statura et imbecillo corpore circa triginta octo annos nata brevi tempore post partum proximum editum laboribus multis et defatigantibus anno 1854, mense Decembri prolapsum parietum vaginae et uteri completum acquisiverat. Medicus, quem paulo post consulebat, coronam uteri rotundam in vagina imponebat, quae tamen tantos dolores ei attulit, ut spatio trium mensium transacto id pessarium non amplius adhiberet. Itaque id pessarium post cum hysterophoro Zwanckii permutatum est. Deinde non amplius a medico visitabatur, quum eo immisso nullis de incommodis neque doloribus quereretur. Quum autem eam ante aliquot hebdomades viderem, ut, quomodo hysterophorum ferret, explorarem, hysterophoro imposito semper dolores se habere dicebat, idque jam initio ita fuisse, quod tum se commemorare noluisse. Ex querelis

multis, quarum numerus erat infinitus, hanc mulierem esse hystericam non difficile erat demonstratu, praesertim quum hysterophoro se carere non posse declararet, ex quibus rebus apparebat, dolores, qui instrumento producerentur, non nimios esse, quia aliter hysterophorum omisisset. Attamen ubi primum occasio data erit, ei hysterophorum minus eligam, quod, ut praevidendum est, desideriis ejus respondebit, quia jam id, quod magnitudinis causa vaginae parietes paululum premeret, ferre quam omittere malebat.

VIII. P. femina quadraginta sex annos nata tres liberos genuit, quorum ultimum ante sex annos. Prolapsus uteri, quo nunc mulier laborat, non ab ultimo partu initium ceperat, sed paulatim ante tres annos ortus et cum retroflexione conjunctus erat. Quum uterus, ut saepe in his casibus fit, hypertrophicus esset, menstrua non solum frequentius, sed etiam copiosius profluebant. Paulatim vero tormenta cardialgiaca exsistebant; nausea, magna obstructio, dum vesica urinaria sine ullo impedimento vacuabatur. Omnia haec mala maxima ex parte sublata sunt, quum ante decem menses hysterophorum Zwanckii acciperet, quod, quum id immittere mox didicisset, quotidie ipsa inducebat et promebat. Unica res de qua adhuc queritur dolores sunt gastrici, qui tamen magis retroflexioni, quam inducto hysterophoro imputandi sunt.

IX. R. femina statura minima viginti duos annos nata initio anni praeteriti in matrimonium ducta

mense Aprili hujus anni puerum peperit et quum vitam in egestate degeret, quinque diebus post partum rursus e lecto surrexit, ut rebus domesticis operam daret, quo facto prolapsus uteri signa se ostenderant, quibus auctis nuper policlinicum Gryphiswaldense adiit auxilium petitura. Perscrutanti mihi prolapsus exiguus vaginae cum descensu et retroversione uteri se praebuit. Praeter dolores, quibus in regione epigastrica et sacrali cruciabatur, de obstructione querebatur, quae interdum per octo dies permaneret. Quum neque vaginae neque portionis vaginalis ulcerationes adessent, statim hysterophorum Zwanckii inductum est, quod ei primo tempore dolores leves afferebat. Postquam identidem hysterophorum adhibitum est, non solum dolores ex prolapsu ortos eosque, qui instrumento concitati essent, mitigatos, sed etiam obstructionem sublatam esse dicebat. Prorsus contentam se fore, nisi in promendo instrumento propter angustias introitus vaginae tormenta haberet, quae, quum minimum constructum instrumentum et vaginae aptum acciperet, in iis causis posita esse puto, quas in casu quinto commemorabam.

X. Joanna V. quadraginta annos nata quatuor infantes peperit, quorum ultimus ante duodecim annos in lucem editus est. Ante duos annos abortum fecerat, ex quo tempore prolapsus vaginae et descensus uteri cum retroflexione gravi conjunctus doloribus intolerabilibus et obstructione molesta indicabatur. Quum tempore hiemali anni praeteriti medicum, cui

aegrotorum policlinicorum curatio demandata erat. consuleret, hic, quum menstrua copiosissime effluerent, secale cornutum intrinsecus et gelidas irrigationes ad vaginam adhibendas praescripsit. Quum molestiae hac tractatione minuerentur, complures menses nullis medicaminibus mulier utebatur, donec ante octo dies casu fortuito eam uteri procidentia laborare certior factus occasioni hystertrophori adhibendi non deeram. Hysterophorum Zwanckii ei in sellae margine sedenti inducebam et quamquam idem quam maxime sublevaveram, nec instrumentum minore erat volumine, quam vagina ejus id postulabat, tamen post tres horas redibat, non solum, quod idem tormenta sibi excitasset, sed etiam elapsum esset, conquesta. Itaque postridie ei in lecto jacenti hysterophorum induxi, quo facto nunc id sibi convenire dicens valde gaudebat, quod doloribus careret. Hac ex re apparet dolores, de quibus in primo inducendo querebatur, eo ortos esse, quod idem non satis caute imposui. De reliquis incommodis, ut de menstruis anomalis et de faecium excretione impedita judicare tum demum potero, si instrumentum diutius tulerit.

XI. Maria H. prolapsu uteri pugni volumine laborabat. Uterus tumoris causa, quem subito, quum menstruis effluentibus fossam saltu superavisset, ortum esse dicebat, reponi non poterat, quare Gryphiam profecta in clinicum medicum recepta est. Postquam cataplasmatibus identidem impositis ille tumor — exsudatum peritoneale saccatum — minu-

tus est, uterus facile reponebatur, quo facto in clinicum obstetricium missa est, ut ibi uteri prolapsus curaretur. Hic hysterophorum Zwanckii accepit, quo uterus tuto et sine ullis incommodis retinebatur, ita ut mox edocta, quomodo instrumentum adhiberetur, in pagum suum remitti posset.

Omnium casuum, quos, ut demonstrarem, quomodo hysterophorum Gryphiae latum esset, descripsi, hic, quem in extrema mea dissertatione commemorabo, maxime est memorabilis, quia hic hysterophoro sanatio perfecta prolapsus uteri peracta est.

XII. F. femina quinquaginta annos nata complurium liberorum mater tempore Pentecostali anni 1856 propter prolapsum uteri auxilium petitura in policlinicum medicum Gryphiswaldense se contulerat, ubi Zwanckii hysterophorum accepit. Quum medico postero die idem promere volenti mulier vehementer resisteret, cum hysterophoro immisso dimittebatur. Mense Februario anni 1857 postquam, ut mulier ipsa narrat, primo sordidus humor, tum sanguis copiose effluxisset, promptum est et perscrutanti digito cicatrix in posteriore vaginae pariete se praebuit, quae uterum prorsus retinebat. Hoc in casu igitur diuturna commoratio hysterophori in vagina inflammationem et ulcerationem excitaverat, quae cicatrice orta contractionem vaginae eoque sanationem prolapsus uteri adduxerat. Per totum tempus, quo mulier hysterophorum tulerat, contentissima eo instrumento fuerat, idque omni ex parte laudat. Eo modo sanatio, quam Pauli tractatione

sua antea commemorata efficere volebat, casu evenerat.

Duae mulieres mihi notae, postquam compluribus ante annis hysterophorum Zwanckii breve tempus tulerunt, diutius id adhibere recusabant. Quum autem cognoscere nequirem, quae fuisset causa molestiarum hysterophoro productarum, utrum instrumentum majore volumine inductum fuisset an vaginae et uteri affectione tormenta excitata essent, accuratiorem descriptionem omittam.

Quamquam in his duodecim casibus, quos in hac dissertatione descripsi, hysterophoro Zwanckii adhibito non semper omnia aegrotarum mulierum desideria explebantur, quae res tantum, si uterus hysterophoro plane sanaretur, fieri posset, tamen magis idem suffecisse, quam omnia priora pessaria factura fuissent, obtinere possum, praesertim quum complures harum mulierum ab omnibus prolapsum uteri sequentibus molestiis liberatas esse et magnam incommodorum partem, de quibus reliquae quererentur, aut hysteriae, quae a versione aut flexione uteri dependeret, aut instrumentorum electioni tribuendam esse judicamus.

VITA.

Emanuel Fridericus Eugenius Fliegel natus sum Hirschbergae, oppido amoenissime sito mediis in montibus summis Silesiae, die XXII mensis Julii anno MDCCCXXXV patre Guilelmo, matre Augusta e gente Schaeffer, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Fidem confiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus, Gymnasium Hirschbergense directoris Dieterich auspiciis florens per annos IX frequentavi. Maturitatis testimonio ornatus auctumno anni h. s. LVI inter cives universitatis Herbipolensis a rectore magnifico Ill. Reissmann receptus et ordini medicorum adscriptus sum. Postquam per semestria IV scholis ibi interfui, Gryphiam auctumnali tempore petii, ubi a rectore magnifico, Ill. Haeser in civium academicorum et ab Ill. Budge, tunc ordinis gratiosi decano maxime spectabili, in medicinae studiosorum numerum receptus quatuor semestria litteris medicis incubui.

Praeceptoribus usus sum hisce.

Herbipoli.

Ill. Koelliker: de anatomia corporis humani; de physiologia; de histologia comparata; — eundem ducem habui in cadaveribus rite dissecandis.

Ill. Mueller: de osteologia; de syndesmologia; de splanchnologia; de anatomia organorum sensuum.

Ill. Osann: de physice.

Ill. Rumpf: de mineralogia.

Exp. Biermer: de pathologia et therapia generali; de encyclopaedia et methodologia medica.

Ill. Schenk: de botanice.

Exp. Schwarzenbach: de chemia anorganica et organica; — idem dux mihi fuit in exercitationibus chemicis.

Ill. Rienecker: de materia medica et de arte formulas medicaminum rite concinnandi.

Ill. Hoffmann: de psychologia.

Ill. Leiblein: de zoologia.

Gryphiae.

Cel. Schildener: de logice.

Ill. Huenefeld: de analysi chemica.

Ill. Niemeyer: de pathologia et therapia speciali; de morbis organorum uropoëticorum; de morbis cerebri.

Ill. Pernice: de arte obstetricia; de morbis mulierum; de morbis recens natorum.

Ill. Bardeleben: de chirurgia speciali; de akiurgia; de ophthalmiatrice; de fracturis et luxationibus; de morbis chirurgicis capitis. Idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis.

Exp. Ziemssen: de percussione et auscultatione; repetitorium de pathologia et therapia speciali; de infantum morbis.

Ill. Budge: de embryologia. Idem dux mihi fuit in cadaveribus rite dissecandis.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi.

Cel. Laurer: de arte fascias rite adligandi.

Exp. Liebermeister: de morbis infectione exortis.

Scholis clinicis interfui medicis Ill. Niemeyer, Ill. Ruehle, chirurgicis atque ophthalmiatricis Ill. Bardeleben, obstetriciis Ill. Pernice, psychiatricis Ill. Niemeyer.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas ago semperque habebo.

THESES.

I.

Musculi intercostales ad exspirationem nihil conferunt.

II.

Visus cataracta impeditus certo nonnisi lentis extractione restituitur.

III.

Venaesectio in pneumonia perraro est adhibenda.